

De Premonstratenzer-Wetgeving in de XII^e eeuw Een nieuwe getuige

II

SUMMARIVM

In fasciculo praecedenti huius periodici (*Anal. Praem.*, XLIV, 1968, pp. 181-214) conati sumus, per textum usum Praemonstratensium contentum in collectione hucusque non considerata, legislationem Ordinis, in primo saeculo suae existentiae, revisioni subicere, potissimum sub ratione aetatis et respectivae filiationis textuum hucusque cognitorum.

In praesenti fasciculo edimus textum collectionis codicis Oxo-niensis Ashmoleani.

Editionem illam curavimus iuxta haec principia :

1. Indicare potissimum, quantum fieri potest, intendimus, quodnam stadium legislationis saeculi duodecimi et decimi tertii Praemonstratensium textus hic editus (PMi) repraesentat. Ut hoc manifestum fiat, varias formas litterarum pro hac editione selegimus :

— Quae PMi mutuatur a PW imprimuntur characteribus romanis parvis.

— Quae communia sunt inter PM et PMi, et in PW non habentur characteribus obliquis imprimuntur.

— Quae PL mutuatur a PMi et non habentur in PW et PM, characteribus crassioribus imprimuntur.

— Quae solummodo in PMi habentur, imprimuntur characteribus capitalibus parvis.

2. Lectiones variantes, quae non occurrunt in PMi, solummodo in apparatu critico referuntur quando inservire possunt emendationi textus passim incerti PMi, et proinde selective notantur.

3. Quae in ipso cod. PMi a scriptore emendata fuerunt, non specialiter indicantur; mendae in cod. ipso occurrentes a nobis emendantur; in hoc ultimo casu lectio ipsa cod. in apparatu critico indicatur.

4. Modi particulares scribendi cod. servantur : v.gr. *comedere* non emendatur in *comedere*.

5. Praeter textus PW et PM iam editos, prae oculis insuper habuimus eos textus in codd. originalibus.

6. Adhibentur hi sigli :

- PW = versio statutorum extans ante a. 1131. Cod. Monacensis, Cls. 17174, 11r-39v; ed. R. VAN WAEFELGHEM, *Les premiers statuts de l'ordre de Prémontré*, in *Analectes de l'ordre de Prémontré*, IX, 1913, pp. 1-74.
- PM = Statuta aa. 1171-1177. Cod. Parisinus lat. 14762, 223r-240r; ed. E. MARTÈNE, *De antiquis ecclesiae ritibus*, 3^a ed., Venetiis, t. II, 1783-8, pp. 323-336.
- PMi = versio statutorum hic edita.
- PL = versio quae continetur in quibusdam codd. saeculi decimi tertii; ed. PL. LEFÈVRE, *Les statuts de Prémontré réformés sur les ordres de Grégoire IX et d'Innocent IV au XIII^e siècle*, Lovanii, 1946 (*Bibliothèque de la Revue d'histoire ecclésiastique*, fasc. 23).

In de vorige aflevering van dit tijdschrift¹⁾ hebben we gepoogd om aan de hand van een onopgemerkte collectie van Premonstratenzergebruiken, de XII^e eeuwse wetgeving binnen de orde van Sint Norbertus aan een grondige herziening te onderwerpen, vooral inzake datering en filiatie.

In deze bijdrage zullen we de tekst zelf van de collectie uitgeven. Vooraf leggen we echter enkele principes van de uitgave nader uit.

1. Er werd naar gestreefd om zo duidelijk mogelijk aan te geven welke etappe PMi (de hier uitgegeven tekst) vertegenwoordigt in de wetgeving van Prémontré tijdens de XII^e en XIII^e eeuw. Daarvoor werd beroep gedaan op verschillende lettertypes :

- de delen die PMi aan PW heeft ontleend zijn uit klein romein gezet;
- de delen die PM en PMi gemeenschappelijk hebben, zonder dat ze reeds in PW aanwezig waren, werden uit kursief gezet;
- de delen die door PL aan PMi werden ontleend, en die niet voorkwamen in PW en PM zijn uit vetjes gezet;
- de delen, die enkel in PMi voorkomen, zijn uit klein kapitaal gezet.

We wijzen er op dat met verschil van letters bij overeenkomstige woorden in de verschillende versies (bv. naamvalsuitgangen) geen rekening werd gehouden, om uit een ander lettertype gezet te worden; enkel dus met volledige woorden.

2. De varianten van de andere P-versies dan PMi werden in het kritisch apparaat slechts opgenomen in zoverre ze dienden tot het

¹⁾ XLIV, 1968, pp. 181-214.

emenderen van foutieve lezingen van de PMi, en zijn bijgevolg selectief.

3. De woorden die in het hs. zelf reeds verbeterd waren (bv. door wegschrapen of expunctueren) werden zonder nadere aanduiding weergegeven; fouten die bleven staan, werden geëmend, maar met aanduiding van de lezing van het hs. in het kritisch apparaat.

4. Er werd rekening gehouden met de spellingseigenaardigheden van het hs.; bv. *commedere* werd niet verbeterd in *comedere*.

5. We leggen er de nadruk op dat we ons voor de versies PW en PM niet enkel hebben vergenoegd om de uitgaven te raadplegen, die hoe hoog hun kwaliteit ook kan zijn, toch steeds vergissingen inhouden. We hebben daarom teruggegrepen naar de handschriften zelf, of liever, naar microfilms, die ons verstrekt werden door de Staatsbibliotheek van München en het Institut de recherche et d'histoire des textes te Parijs.

6. Volgende sigels werden gebruikt:

PW = versie van voor 1131.

hs. München, Staatsbibliotheek, Cls. 17174, 11r-39v.

ed. R. VAN WAEFELGHEM, *Les premiers statuts de l'ordre de Prémontré*, in *Analectes de l'ordre de Prémontré*, IX, 1913, pp. 1-74.

PM = versie van 1171-1177.

hs. Parijs, Bibliothèque nationale, fonds lat. 14762, 223r-240r.

ed. E. MARTÈNE, *De antiquis ecclesiae ritibus*, 3^e uitg., Venetië, 1783-88, dl. II, pp. 323-336.

PMi = hier uitgegeven versie.

PL = verschillende hsn. uit de XIII^e eeuw.

ed. Pl. LEFÈVRE, *Les statuts de Prémontré réformés sur les ordres de Grégoire IX et d'Innocent IV au XIII^e siècles*, Leuven, 1946 (*Bibliothèque de la Revue d'histoire ecclésiastique*, fasc. 23).

Dr. L. MILIS.

Faculteit der Letteren en Wijsbegeerte.
Blandijnberg 2, Gent (Belg.).

KONKORDANTIETABEL DER VERSIES PMi, PW, PM EN PL

PMi		PW			PM			PL	
§	f ^o ms	§	p. ed.	f ^o ms	§	p. ed.	f ^o ms	§	p. ed.
1	186r	54	50-1	30v-31r	III, 1	332	233v	III, 1	65-6
		55	52	31r					
2	186r-187r ^o	55	51-3	31r-31v	III, 2	332	233v-234r	III, 2	66-8
		54	51	30v					
		56	53	32r					
3	187r-v	56	53-4	31v-32r	III, 3	332	234r-v	III, 3	69
		55	52	31v					p. 68
									r. 45-6
		50	48	29v					
4	187v-188r	57	54	32r-v	III, 4	332	234v	III, 11	81-2
5	188r-v	58	55	32v-33r	III, 5	332-3	234v-235r	III, 11	81-2
6	188r-189v	59	55-57	33r-34v	III, 6	333	235r-236r	III, 4	70-2
7	189v-190r	59	55-56	33r-v	III, 7	333	236r	III, 6	73
8	190r	—	—	—	III, 8	333	236r	—	[cf. 74, add. 1290]
9	190r-191v	53	49-50	30r-v	III, 9	333	236r-v	III, 8	76-79
10	190v-191r	60	57-58	34v	III, 10	333-4	236v	III, 9	79-80
11	191r-v	21	33	21v-22r	IV, 3	334	237r-v	IV, 2	91-93
12	191v	24	34	22r	IV, 4	334	237v	[I, 14]	[26-7]
13	191v	31	37	23r-v	IV, 13	335	238v	[I, 10]	[20-21]
14	191v-192r	—	—	—	—	—	—	—	—
15	192r	48	48	29r	[I, 6]	[326]	[225r-v]	[I, 6]	[13-14]
16	192r	49	48	29r-v	—	—	—	IV, 10	110-11
		62	59-60	35r-v	—	—	—	—	—
17	192r-v	71	63	37v	—	—	—	[IV, 10]	[110-11]
18	192v	70	62	37r-v	—	—	—	—	—
19	192v	65	61	36r-v	[I, 15]	[327-8]	[227r-v]	[I, 13]	[23]
20	192v-193r	64	60	36r	—	—	—	—	—
21	193r	66	61	36v	—	—	—	—	—
22	193r	67	61	36v	—	—	—	—	—
23	193r-v	66	61	36v	—	—	—	—	—
24	193v	69	62	37r	—	—	—	—	—
25	193v	63	60	36r	—	—	—	—	—
26	193v	72	63	37v	—	—	—	IV, 10	111
27	193v-194r	68	62	36r	—	—	—	—	—
28	194r	42	44-5	27v	I, 17 ¹⁾	328	228r	[I, 16]	[28-30]
		50	48	29v	—	—	—	—	—
29	194r	34	38	25r	—	—	—	—	—
30	194r	73	63	37v	—	—	—	—	—
31	194r-v	—	—	—	—	—	—	—	—

1) Hs. verkeerdelijk I, 16.

PMi		PW			PM			PL	
§	f ^o ms	§	p. ed.	f ^o ms	§	p. ed.	f ^o ms	§	p. ed.
32	194v	61	58	34v-35r	I, 20 ²⁾	328	228v	I, 19	36-37
		—	—	—	aanv. VII	335	239v	—	—
33	194v	—	—	—	—	—	—	—	—
34	194v	—	—	—	aanv. III	335	239v	[IV, 12]	[114-5]
35	195r	—	—	—	aanv. IV	335	239v	[IV, 17]	[122]
36	195r	—	—	—	aanv. VI	335	239v	—	—
37	195r	—	—	—	aanv. XI	336	240r	[IV, 15]	[117-8]
38	195r	—	—	—	[aanv. XII]	[336]	[240r]	—	—
39	195r	—	—	—	—	—	—	—	—
40	195r	—	—	—	—	—	—	IV, 14	116-7
41	195r-v	—	—	—	—	—	—	—	—
42	195v	—	—	—	—	—	—	II, 2	45
		—	—	—	—	—	—	[IV, 15]	[118]
43	195v	—	—	—	—	—	—	—	—
44	195v	—	—	—	II, 1	329	229r	[III, 2]	[68]
		—	—	—	aanv. VIII	335-6	239v	—	—
45	195v	—	—	—	—	—	—	—	—
46	195v	—	—	—	—	—	—	—	—
47	195v-196r	—	—	—	—	—	—	—	—
48	185r	—	—	—	—	—	—	—	—
49	185r	[20]	[32]	[21v]	[I, 6]	[326]	—	[I, 6]	[13-14]
		[19]	[31]	[21r-v]	[I, 5]	[326]	—	[I, 5]	[11-13]
50	185r	—	—	—	—	—	—	—	—
51	185r	—	—	—	—	—	—	—	—
52	185r-v	—	—	—	—	—	—	—	—
53	185v	—	—	—	—	—	—	—	—
54	185v	—	—	—	—	—	—	—	—
55	185v	—	—	—	—	—	—	[III, 8]	[77-78]
56	185v	—	—	—	—	—	—	[III, 8]	[77-78]
57	185v	—	—	—	—	—	—	—	—
58	185v	—	—	—	—	—	—	—	—
59	185v	—	—	—	—	—	—	—	—

2) Hs. verkeerdelijk I, 19.

[COLLECTIO CONSUETUDINUM PRAEMONSTRATENSIIUM (PMi)
QUAE ASSERVATUR IN CODICE MANUSCRIPTO OXONIENSI
ASHMOLEANO 1285.]

[CAP. 1] He sunt leuiiores culpe. Si quis mox ut signum datum fuerit, non relictis omnibus quecunque in manibus habuerit, cum matura tamen festinatione differat se preparare ut secundum regulam ad ecclesiam ordinate cum processione et composite et cum silentio ueniat infra septa atrii uel extra in uicino manens; designatum ^{a)} sibi legendi uel cantandi officium non *atentissime* compleuerit, responsorium uel antiphonam incepturus eorum turbauerit; male legendo uel cantando offendens, non statim se coram omnibus humiliauerit; si in conuentu uenire distulerit; si ibidem aliquid tumultus uel inquietudinis fecerit; si ad mensam cum ceteris non uenerit; si ad communem rasuram presens non fuerit; si presens in dormitorio aliquam inquietudinem fecerit; si per licentiam de claustro egressus, moram fecerit; si corporale uel lintheos ad portandos calices UEL ad patenam inuoluendam NON ^{b)} aptauerit; stolam uel phanonom negligenter ad terram deiecerit; si uestes suas tempore et loco statuto honeste et ordinate non mutauerit; si cereum maiorem fregerit; si aliquid utensilium perdiderit; si corrigiam rasoriorum inciderit; si quid uestimenti sui peiorauerit uel perdiderit uel potus effuderit; si liber in quo ad refectionem UEL ad capitulum UEL ad collationem legendum est suo neglectu defuerit; si ^{c)} lector mense denotatus, benedictionem neglexerit; si in conuentu aliquid unde alii scandalizentur ^{d)} egerit; si in aliquo gestu reprehensibilis fuerit; si in aliquo notabilis *apparuerit*. De his omnibus penitentibus ueniam, iniungantur psalmus ^{e)} unus.

[CAP. 2] Media culpa est si quis in ASSUMPTIONE Domini ^{a)} et Natiuitate Domini in principio capituli non affuerit per negligentiam ut pronuntiatis redemptionis nostre exordiis, corde et corpore humiliatus gratias agat Redemptori; in choro positus non diuino officio intentus uagis oculis et motu irreligioso, minus competentem, leuitatem mentis ostenderit; lectionem constituto ^{b)} tempore non preuiderit; si quicquam cantare uel legere presumserit quam quod communis consensus probat; si in coro riserit uel alios ridere fecerit; si ^{c)} ad capitulum uel collationem non uenerit; si commune mandatum dimiserit; si ad opus manuum non occurrerit; si dormientibus fratribus per negligentiam defuerit; si quis hore canonice uel *communi refectioni* non interfuerit; si quis absque benedictione cibum uel potum sumserit; si quis eum a quo clamatus est eadem die quasi uindicando clamare presumserit; si quis clamans in clamatione *sua* iudicium fecerit; si *quis* de ^{d)} uia ueniens die eadem, si fieri potest, benedictionem accipere neglexerit, uel absque

[CAP. 1] ^{a)} designatum ... humiliauerit] = PW 55, p. 52, 31r.

^{b)} non] PMi in margine.

^{c)} si ... neglexerit] = PW 55, p. 52, 31r.

^{d)} scandalizentur] PMi leg. scandalizantur.

^{e)} psalmus] PMi leg. psalmus.

[CAP. 2] ^{a)} Domini] PMi leg. Domine.

^{b)} constituto] PMi leg. uel constituto; PW in constituto; PM, PL constituto.

^{c)} si ... defuerit] = PW 54, p. 51, 30v.

^{d)} de ... exierit] = PW 54, p. 51, 30v.

ea, nisi ad possessiones uicinas uadens, de monasterio plus una die moraturus exierit; si ^{e)} quis cum iuramento, ut in loquendo fieri solet, aliquid negauerit uel affirmauerit; si quis turpem sermonem uel uaniloquium in usu habuerit; si quis eorum, qui officiis deputati sunt, in aliquo circa officium suum negligens repertus fuerit, ut sunt *priores* in conuentu custodiendo, cantores in officiis quibus annotati sunt exequendis, prouisor exteriorum in rebus exterioribus custodiendis, celerrarius in administrandis, sacrista in his que ad ecclesiam pertinent conseruandis, reficiendis uel administrandis, armarius in libris emendandis, custodiendis, certa hora exponendis, uestiarius in uestibus prouidendis, infirmorum custos infirmis seruandis, hospitalis in hospitibus suscipiendis et procurandis, ut in omnibus precepta patris nostri Augustini adimpleantur: « Ante omnia diligatur Deus, deinde ^{f)} proximus » et illud « sine murmure seruiant fratribus suis ». Clamatis de supradictis et ueniam petentibus fiat unius coreptionis disciplina cum tot psalmis ^{g)}, quot placuerit illi qui capitulum tenebit. *Qui autem silentium suum fregerit, sicut in generali capitulo statutum est, una die in pane et aqua ieiunabit.* NULLA ALICUI INDULGEATUR REFICIENDI LICENTIA PRO FRACTO SILENTIO, ETSI ABBAS REFECTIONI INTERFUERIT.

[CAP. 3] Grauis culpa est si quis in audientia secularium inhoneste contenderit; si frater cum fratre intus uel foris lites habuerit; uel si quis, procedens ubi femine sunt, oculum fixerit, si tamen hoc in usu habuerit; si quis falsum testimonium aduersus aliquem dixerit; si quis ex ^{a)} industria mendatium dixisse deprehensus fuerit; si ^{b)} quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit; si quis iacens uel sedens culpam suam uel alterius defenderit; si quis inter fratres discordiam seminauerit; si in illum a quo clamatus est uel in quemlibet alium minas uel maledicta seu uerba inordinata et irreligiosa maliciose inuexisse, deprehensus fuerit; si quis alicui fratrum obprobrium ^{c)} dixerit; si quis preteritam culpam pro qua satisfecit impropereaerit; si quis susurro ^{d)} uel detector inuentus fuerit; si ^{e)} quis mala de patribus uel de fratribus uel de domibus ^{f)} suis maliciose euomuerit, que testimonio fratrum suorum comprobare NON POTERIT; si quis, parentibus suis uel nuntiis ^{g)} superuenientibus, loqui uel ab eis rumores audire, absque testimonio et licentia abbatis uel prioris, presumserit. Pro huiusmodi culpis et his similibus, ueniam petentibus et non clamatis tres coreptiones in capitulo dentur et tres dies in pane et aqua ieiunent. Clamatis uero una dies et una coreptio superaddatur. Decetero psalmi et uenie secundum quod discretioni rectoris uisum fuerit pro qualitate culparum iniungantur. Si quis autem pro uictu uel uestitu uel qualibet alia re murmurauerit, predictam penam sustineat et XL dies ab illo genere cibi uel potus pro quo murmurauerit, abstinebit.

^{e)} si ... habuerit] = PW 56, p. 53, 32r.

^{f)} deinde] PMi leg. dinde.

^{g)} psalmis] PMi leg. spalmis.

[CAP. 3] ^{a)} ex] PMi leg. in ras. cum; PW, PM, PL ex.

^{b)} si ... duxerit] = PW 55, p. 52, 31v.

^{c)} obprobrium] PMi leg. obprobrium.

^{d)} susurro] PMi leg. susurror; PW, PM, PL susurro.

^{e)} si ... comprobare] = PW 50, p. 48, 29v.

^{f)} domibus] PMi leg. hominibus; PW, PM domibus.

^{g)} nuntiis] PMi leg. uicinis; PM, PL nuntiis.

[CAP. 4] Grauior culpa est si cuiquam ^{a)} aliqua negligentia contigerit in corpore et sanguine Domini, siue palam, siue occulte. Hoc si domno abbati euenerit, sedens cum omni humilitate, se ipsum acuset et superna compassione ^{b)} et oratione hunc excessum deleri postulet; deinde interni ^{c)} arbitri iram preuenire satagens, iudicansque se ipsum ut non iudicetur et transitorie dampnans ne in eternum dampnetur, ministri quoque qui huic negligentie interfuerunt, uerum et omnes reliqui fratres surgentes preparent se ad uapulandum et uoluntariam subeant uindictam, ut quia unum cor sunt et anima una, mutuo ^{d)} sua honera portantes, adimpleant legem Christi, cantantes ibidem VII psalmos penitenciales, nisi duplex solemnitas fuerit, cum his uersiculis « Post partum » « Adiuua nos » orationibus « Famulorum » « Ineffabilem ». Post hec surgentes resideant. Tunc iniungat rector unicuique in psalmis ^{e)} et missis pro peccatis quod sue discretioni uisum fuerit, et ille cui contigit negligentia per aliquot dies a sacramento abstineat. Uerum quia similis negligentia alii cuilibet euenire potest et non numquam euenit, eadem ratio reconciliationis non incongrua uidetur.

[CAP. 5] Si quid de sacramento sanguinis Christi ceciderit super corporale, reponendum est ipsum corporale ^{a)} et in loco reliquiarum seruandum. Si palla altaris inde intincta fuerit, recidenda est ipsa que intincta est particula et pro reliquiis seruanda. Si super quodcunque uestimentum, comburenda est pars illa et cinis in sacrario reponenda. Si super casulam uel albam deguttat, fiat similiter. Si uero in terram cecidit, lingendus, extergendus, radendus est locus *ipse*, siue lapis, siue lingnum siue terra; et puluis in loco *sacro* recondendus. Porro si in ^{b)} ipsum sanguinem musca uel aranea uel aliud tale quid ceciderit, quia uix sine uomitu aliquando sumi potest uel sine periculo corporis, igne cremandum est et sanguis sumatur. Quod si fides sua id ipsum quod ceciderit, quempiam sumere fecerit, Deo gratias; sed paucorum est. Contingit etiam ut de simplici uino uel de aqua sine uino, uel de quolibet alio liquore fiat consecratio. Hii quibus he negligentie euenerint ^{c)}, supradicto modo peniteant. Quod si de corpore Domini aliquid super pallam altaris ceciderit uel super quodlibet aliud indumentum, non inciditur sed uino abluitur et a ministro sumitur ipsum uinum. Quod si infirmo datum reicitur, prout diligentius poterit, suscipiatur et contritum ^{d)} in calice cum uino ab aliquo sumatur, si integrum sumi non potest, eo quod de ore alterius reiectum est. Reus autem ^{e)} huius negligentie, et qui cum eo particeps fuit culpe, competenti subiacebit uindictae. Si autem in terram aut super lignum uel lapidem ceciderit, modus supradictus de sanguine Domini tenendus erit.

[CAP. 4] ^{a)} cuiquam] *PMi leg.* quicquam; *PW, PM* cuiquam.

^{b)} compassione] *PMi leg.* copassione.

^{c)} interni] *PMi, PM leg.* interim; *PW, PL* interni.

^{d)} mutuo] *PMi leg.* mutua; *PW, PM* mutuo.

^{e)} psalmis] *PMi leg.* splamis.

[CAP. 5] ^{a)} corporale] *PMi leg.* corporele.

^{b)} in] *PMi om.*; *PW* quid in; *PM, PL* in.

^{c)} euenerint] *PMi leg.* uenerint; *PW* euenerit; *PM, PL* euenerint.

^{d)} contritum] *PMi leg.* incontritum; *PW, PM, PL* contritum.

^{e)} autem] *PMi leg.* ante; *PW, PM, PL* autem.

[CAP. 6] Finito de sacramentis, adhuc de gravioribus ^{a)} culpis dicendum est. Si quis frater *per contumaciam et manifestam rebellionem* inobediens ^{b)} abbati suo fuerit, si ^{c)} quis percussor fuerit, si quis crimen capitale commiserit, ut furtum, sacrilegium uel aliud huiusmodi, si publicatus *deuitare* nequit ^{d)}, in clamazione sponte surgat et ueniam petens, sceleris sui immanitatem lamentabiliter proferat, et denudatus ut dignam suis excipiat meritis sententiam, uapulet ^{dd)} quantum placuerit prelato; et ut permaneat in pena grauioribus culpis debita preceptum accipiat uidelicet, ut sit omnium nouissimus in omni conuentu ubi fratres sunt, ut qui culpas perpetrando non erubuit fieri membrum diaboli, ad tempus ut resipiscat, sequestretur a consortio ouium Christi; in refectorio quoque *ad mensam communem non sedebit, set in medio refectorio super nudam mensam commedet*, et prouidebitur ei seorsum panis grossior et potus aque, nisi *domnus* abbas aliquid ei per misericordiam impendat; nec reliquie prandii sui cum aliis reliquiis misceantur, ut cognoscat ita sequestratum esse ^{e)} a consortio aliorum *quod priuetur a consortio angelorum* nisi redeat per penitentiam. Ad canonicas horas ueniat ante hostium ecclesie et coram *transeuntibus* fratribus prostratus iaceat quousque intrauerint omnes et exierint. Nullus autem quoquomodo audeat se ei coniungere uel aliquid mandare. Ipse tamen *domnus* abbas ne in desperationem labi possit, aliquando mittat ad eum seniores, qui eum admoneant ad penitentiam, prouocent *ad patientiam* ^{f)}, foueant per compassionem, hortentur ad compunctionem, adiuuent per suam intercessionem. Si uiderint in eo humilitatem cordis, quibus suffragetur totus conuentus, nec renuat abbas cum illo facere misericordiam. Et si uidetur ei denuo uapulet, prouolutus omnium pedibus, primo abbatis, deinde utriusque lateris sessorum ^{g)}. Ille talis, quamdiu *erit* in hac penitentia, non communicet, non ueniat ad osculum pacis, non osculetur textum Euuangelii, non notetur ad aliquod officium in ecclesia nec ulla ei ante plenariam solutionem obedientia committatur; et, si fuerit sacerdos uel diaconus, his non fungatur officiis, nisi ^{h)} postmodum religiosius ⁱ⁾ conuersatus ^{j)}. *Eodem modo penitere debet qui rem sibi collatam celauerit, et* ^{k)} *non statim in rem communem redegerit; quod beatus Augustinus furti iudicio dicit esse condemnandum*. Si quis etiam in alio monasterio tale quid commiserit, ulterius illuc non redeat, etiam si per omnia correptus inuentus fuerit. Quod si quis domno abbate absente, tale quid perpetraverit *prior* suus suspendat eum ab officio suo et ab obedientia sua si quam habet, ET cetera differat ad audientiam abbatis. Si in aliqua *curia* euenerit, *custos* qui ibi est *nuntiet hoc ad monasterium*. Adductus uero non ueniat in presentia abbatis donec ipso capitulo *presederit* et tunc agatur de eo sicut predictum est. Quod si defuerit, maneat seorsum ubi prior iusserit,

[CAP. 6] ^{a)} grauioribus] *PMi om. abbrev.*

^{b)} inobediens] *PMi leg. inobediendiens.*

^{c)} si ... fuerit] = *PW 56, p. 53, 32r.*

^{d)} nequit] *PW, PM, PMi nequid; PW, PM (ed.) nequit.*

^{dd)} ualupet ... prelato. *PMi leg. ualupet ... prelalato.*

^{e)} esse] *PMi in margine.*

^{f)} patientiam] *PM (ms.) supra lin.; (ed.) leg. poenitentiam.*

^{g)} sessorum] *PMi leg. sesorum.*

^{h)} nisi] *PMi in margine -si.*

ⁱ⁾ religiosius] *PMi leg. relligiosius.*

^{j)} conuersatus] *PMi add. post. fuerit.*

^{k)} et] *PMi leg. uel et.*

donec abbati et capitulo, ut dictum est, presentetur. Si autem abbati *huiusmodi* lapsus insinuat fuerit, ut occulte tractare dicernat, hoc in eius pendet arbitrio. Si quis autem pro huiusmodi suspectus est, NON confessus, nec conuictus, re ueniente in dubium, differatur interim, ut secundum consuetudinem rerum dubiarum iusto iudicio comprobetur, et denuo ad capitulum referatur, nisi sit res de lapsu corporali que pro scandalo non est aperte tractanda, sed prelato occulte intimanda; et si contigerit ut ab aliquo minus discrete proferatur, *si sine scandalo occultari poterit*, sub occasione probationis est suspendenda, *nec* in publicum proferenda, *ET si abbati fuerit probata*, districtione ¹⁾ tamen *secreta*, secundum personam et tempus *condignam agat penitentiam* in qua non sibi set ceteris parcitur.

[CAP. 7] Quicumque per conspiracyonem uel coniurationem uel *per* maliciosam concordiam aduersus abbatem uel prelatos suos manifeste se erexerint, *supradicto modo peniteant et de cetero* in omni uita sua extremum ^{a)} locum sui ordinis obtineant et uocem in capitulo, nisi in sui acusatione, non habeant, neque eis deinceps aliqua obedientia nominata iniungatur.

[CAP. 8] *Si quis subditus nostri ordinis infamauerit patrem suum de aliquo crimine infra claustrum uel extra, postquam infamator ille INDE conuictus uel publice confessus fuerit, preter supradictam penitentiam subeat etiam hanc penam, ut ultimus sit in omni conuentu ubi ordo seruatur, officio suo non fungatur, in omni sexta feria ieiunet in pane et aqua et totiens coreptionem accipiat, et de his nulla fiat ei remissio, nisi consilio communis colloquii patrum. Si laicus fuerit, similiter omnium ultimus erit conuersorum et in omni sexta feria ieiunet in pane et aqua et nuda mensa commedat et coreptionem accipiat et omnibus dominicis diebus nudis pedibus eat ad processionem; de remissione supradictus modus teneatur.*

[CAP. 9] Quicumque apostatauerit, si intra XL dies non redierit excommunicabitur. Si uero misertus sui redierit, depositis uestibus in claustrum nudus cum uirgis in capitulum ueniet et prostratus culpam suam dicet et humiliter ueniam petet et *quamdiu placuerit abbati pene gravioribus culpis debite subiacebit, et in capitulo nudum se presentabit* et in omnibus dominicis diebus ^{a)}, infra hoc tempus penitentie, ante hostium, ubi processio transitura est, prostratus iacebit *et ubique in conuentu nouissimus erit et peracta* ^{b)} *penitentia, nunquam priorem locum obtinebit sed inferiorem; ita ut tempus transgressionis subtrahatur* ^{c)}.

Quod si iterum stimulante diabolo ruptis caritatis et obedientie uinculis effugerit et iterum redierit, extra claustrum depositis uestibus nudus cum uirgis in capitulo ueniam postulabit *et sicut supradictum est postea penitebit*. Si uero tercio, perurgente diabolo, fugitiuus euaserit, et postea Deo MISERANTE redierit, extra portam uestes deponat et nudus cum uirgis in capitulo misericordiam querere ueniat et de cetero eodem modo quo supradictum penitentiam aget. Omnibus tamen fratribus pro huiusmodi penitentibus et humiliter in capitulo deprecantibus,

¹⁾ districtione] *PMi leg.* distircone.

[CAP. 7] ^{a)} extremum] *PMi leg.* exemum.

[CAP. 9] ^{a)} diebus] *PMi om.*

^{b)} peracta] *PMi om. abbrev.*

^{c)} ita ut ... subtrahatur] *PM (ms.) in marg.*

abbas secundum quod eorum penitentiam prospexerit eis indulgere uel remittere poterit, secundum quod sue discretioni uisum fuerit. Quod si quarto, furore diaboli areptus, RECESSERIT et postea redierit, si clericus fuerit, NUNQUAM ultra in officio clerici sed inter laicos erit quamdiu abbati et capitulo uisum fuerit. Si uero laicus fuerit, in uilissimo officio et omnium laicorum nouissimus erit et omni tempore uite sue in pane et aqua et solo pulmento penitebit nisi in solemnibus festis et discrecio ^{d)} abbatis aliquando aliquam misericordiam ei impendere uoluerit. *Si quis in apostasia ordinatus fuerit, ordinibus male susceptis perpetuo carebit, nisi forte postmodum ita religiose conuersatus fuerit ut patres in generali capitulo iudicent circa eum ^{e)} aliquam posse fieri dispensationem. Si quis autem prius ordinatus, in apostasia et excommunicatione diuina celebrare presumerit, non nisi post diuturnam penitentiam et laudabilem conuersationem ^{f)} officio suo fungatur.*

[CAP. 10] Grauiissima culpa est incorrigibilitas eius qui nec culpas timet admittere et penam recusat scire. De quo preceptum est patris nostri Augustini ut « etiam si ipse non abcesserit de nostra societate prociatur », secundum apostolum, qui hereticum hominem post correptionem adhibitam et incorrigibilitatem patefactam deuitari iubet tanquam peccantem peccatum ad mortem, « quia subuersus est ^{a)}, qui eiusmodi ^{b)} est ». Hic quidem uestibus monasterii exutus et habitu seculari indutus exire compellendus est, si tamen usque ad eandem horam sani capitis et integri sensus extiterit. Non enim quod quidam indigne expetunt, sub qualibet occasione cuiquam est danda recedendi licentia, ne ordo et disciplina canonica in contemptum ^{c)} ueniat, dum aspicitur in indignis habitus CANONICUS; et ita sicut a corde professionem abiecerunt, sic a corpore professionis insignia deponere coguntur, nec ulli omnino pro sua quantalibet inopportunitate indulgeatur REGREDIENDI licentia.

[CAP. 11] *Hec itaque sunt que propter uigorem ordinis conseruanda in construendis abbaciis uolumus obseruari, scilicet non mittendum esse abbatem nouum in locum nouellum sine clericis ad minus XII, nec sine libris istis, salterio, himnario, collectaneo, antiphonario, gradualis, regula, missali, nec nisi prius instructis his officinis, oratorio, dormitorio, refectorio, cella hospitum, portarii ^{a)}, quatinus ibi statim Deo seruire et regulariter uiuere possint, nec ullum locum accipiemus ad abbatiam faciendam, nisi habeamus quadraginta clericos et quotiens conuentus ad abbaciam faciendam emittitur, si quis eorum qui emissi fuerint, siue clericus, siue laicus, ad matricem ecclesiam, de qua exiuit, sine abbatis cum quo exiuit beniuolentia, contumax et inobediens reuerti uoluerit, abbas, ad quem confugerit sub spe consolationis, per XV dies, ut inobedientem, extra conuentum, in quo uoluerit loco ^{b)}, eum retineat. Si autem in hoc perseuerans, redire noluerit ^{c)}, excom-*

^{d)} discrecio] *PMi leg.* dicrescio.

^{e)} eum] *PMi leg.* enim.

^{f)} conuersationem] *PMi leg.* conuersionem; *PM* conuersationem.

[CAP. 10] ^{a)} quia subuersus est] *PMi leg.* subuersus est quia; *PW, PM, PL* quia subuersus est.

^{b)} eiusmodi] *PMi leg.* huiusmodi; *PW, PM, PL* eiusmodi.

^{c)} contemptum] *PMi, PM leg.* contentum; *PW, PL* contemptum.

[CAP. 11] ^{a)} portarii] *PMi leg.* portari; *PW, PM, PL* portarii.

^{b)} loco] *PMi leg.* locum.

^{c)} noluerit] *PMi leg.* uoluerit; *PW, PM, PL* noluerit.

municatum eiciat. In aliis autem abbaciis de quibus non exiit, comperta eius PERTINATIA, nisi sola nocte, non retineatur. Fratres uero emissi emittenti abbati nulla penitus occasione reddantur. Nec licebit fratres nostros ecclesiis alterius ordinis acomodare, nisi nostrum ordinem tenere *uelint*. *Pueri non recipiantur nisi XV annorum fuerint*. SED SI UTILITAS ET NECESSITAS REI POPOSCERIT, POTERUNT ABSQUE HABITU TENERI AD CURIAS.

[CAP. 12] Nemo nostrum quemquam ad conuersionem ire uolentem ad aliquam ecclesiarumstrarum dehortetur aut sibi atrahat; sed nec, si mutato proposito sponte remanere uoluerit, retineat, si prius abbati illius loci se ad eum uenturum per se aut per nuntium promiserit. At ubi ad locum destinatum peruenerit, si priusquam probandus suscipiatur propositi penituerit, egressum recipiat qui uoluerit.

[CAP. 13] In toto aduentu, exceptis dominicis diebus et festis IX lectionum et in secunda et tertia feria ante Caput Ieiunii et in ieiuniis quatuor temporum, Septembri et Decembri et uigilia Ascensionis et Pentecostes, sanctorum Iohannis Baptiste, Petri et Pauli, Iacobi, Laurentii, Asumptionis sancte Marie, Bertholomei ET Mathei, Simonis et Iude, Omnium Sanctorum, Andree apostoli et in omnibus sextis feriis nisi DUPLEX FESTUM ea die euenerit, quadragesimali cibo utimur.

[CAP. 14] DE IEIUNIO ^{a)} LAICORUM FRATRUM. QUID EIS ADDISCERE LICEAT. DE ORATIONIBUS ^{b)} EORUM. QUOMODO SURGANT AD MATUTINAS. QUOMODO CONUENIANT AD REFECTIIONEM. QUAS OFFICINAS INGREDI LICEAT. IN QUIBUS LOCIS CONTINUUM OBSERUETUR SILENTIUM. DE COMMUNI AUDITORIO. DE HIS QUI EXTRA LABORANT. QUOMODO RESPONDEANT TRANSEUNTIBUS. DE PREPONENDO FRATRE IN SINGULIS OFFICIIS. UT PRELATI OFFICIORUM SUBIECTIS SUIS NECESSARIA PROUIDEANT. UT QUI A MAGISTRO REPREHENDITUR, CONTINUO UENIAM PETAT. QUOMODO EMENDENTUR CULPE IN CURIIS. NE FRATER SINE LICENTIA DE CURIA UADAT. DE DIRECTIS IN VIA. DE NOUICIIS. NE MULIERES MOLENDINAM UEL CURIAS NOSTRAS INGREDIANTUR. QUOMODO INSTITUTIONES RECITENTUR ^{c)} FRATRIBUS.

[CAP. 15] CAPITULUM PRIMUM. INCIPIUNT INSTITUTIONES DE ORDINE FRATRUM LAICORUM. DE IEIUNIO FRATRUM laicorum.

Laici conuersi ieiunabunt *a festo sancte Crucis usque ad QUADRAGESIMAM OMNI SEXTA FERIA*, NISI NATALIS DOMINI OCURERIT IN EA. ET a festo sancti Martini usque ad NATIUITATEM COTIDIE *exceptis dominicis diebus*. Considerare tamen oportet qualitatem laboris singulorum, grauioris uel leuioris et secundum hoc ieiunium eorum disponere in prelatorum ^{a)} erit discretione.

[CAP. 16] Credo in Deum, Pater noster, Miserere mei Deus, et benedictionem cibi **et potus** laicis fratribus addiscere licebit. Libelli uero **nulli** permittantur eis. ANTE **matutinas dicent** SEMEL **Credo in Deum et Pater noster. Deinde pro**

[CAP. 14] ^{a)} ieiunio] *PMi leg.* iunio.

^{b)} orationibus] *PMi om. abbrev.*

^{c)} recitentur] *PMi leg.* reortentur.

[CAP. 15] ^{a)} prelatorum] *PMi leg.* prelatum; *PW, CA* abbatum.

matutinis DICENT **Pater noster** VIGIES QUINQUES; **ad primam VII**, SIMILITER **ad tertiam, sextam et nonam**; **ad uesperas** QUINQUES DECIES; **ad completorium VII**; **post completorium dicent semel Credo in Deum, Pater noster.** In ^{a)} loco ubi frater ET soror moritur EIUSDEM ECCLESIE FRATRES intra tricenarium DICENT PRO EO QUIGESIES Pater noster.

[CAP. 17] Ad matutinas signum ^{a)} consuetum fiat. Quo audito omnes surgant nisi per licentiam pro infirmitate siue fatigatione uie uel laboris ALIQUI REMANEANT. Et qui in abbazia manent, simul et ordinate ad monasterium uadant preter ILLOS qui deputati fuerint ad officinas custodiendas. Qui autem in curia, ascenso lumine, in determinato loco conueniant et completa oratione ad signum magistri recedant.

[CAP. 18] Hora refectionis ille qui preest in ministris secundum consuetudinem signum faciat et in abbazia et in curia singulis diebus. Quo audito omnes conueniant et lotis manibus in loco determinato sedeant, donec iterum signum introeundi faciat ^{a)}, et tunc ingredientes, secundum ordinem quo semel dispositi fuerint a magistro conuentus, sedeant. Hac ora qui defuerit nisi ex precepto et nisi iustam CAUSAM magistro ministrorum dixerit, non ei aliud detur quam communis conuentus habuerit et inde ueniam petens uel clamatus ad coreptionem se preparet.

[CAP. 19] In dormitorium et in domum ubi ad ignem conueniunt, licebit omnibus intrare quotiens necesse fuerit, et in refectarium solis ministris qui ad preparandum uel ad ministrandum deputati SUNT, ceteris fratribus hora tantum communis, nisi infirmi uel in uia dirigendi, uel alia necessaria occupatione detenti, ex precepto ante uel POSTEA comedant, et tunc ad nutum magistri ministrorum ingrediantur, et ubi ^{a)} ille innuerit sedeant. Ceteras officinas continuo silentio deputatas ^{b)} absque licentia nemo ingrediatur, preter illos qui addicti sunt singularum ^{c)} officiis; neque in domibus hospitum.

[CAP. 20] Fratres conuersi siue in curiis siue in abbazia demorantes ^{a)} habeant terminata loca ad continuum silentium, scilicet domum ubi ad ignem conueniant, dormitorium, refectarium, cellarium, coquinam, pistrinum ^{b)}, cambam, infirmitarium, domum portarii, operatoria ^{c)} pellificum, textorum, sutorum, fabrorum, domum ad faciendos caseos, ouile in eis horis quibus mulgent oues, stabulas uaccarum ^{d)} quando mulgent eas, et si tot uel plura uel pauciora habeantur alia loca huiusmodi. In hiis locis nemo loquatur. IDEO FRATRES NECESSARIA SIGNA HABEANT, QUIBUS INUICEM SIGNIFICENT QUANTUM instans negotium EXIGIT. HABEANTUR

[CAP. 16] ^{a)} In ... noster] = PW 62, pp. 59-60, 35r-v.

[CAP. 17] ^{a)} signum] PMi leg. singnum.

[CAP. 18] ^{a)} introeundi faciat] PMi leg. intereundi fiat; PW, CA introeundi faciat.

[CAP. 19] ^{a)} ubi] PMi leg. ut; PW, CA ubi.

^{b)} deputatas] PMi leg. deputatis.

^{c)} singularum] PMi, CA leg. singularum; PW singulorum.

[CAP. 20] ^{a)} demorantes] PMi leg. demorentes; PW demorentur.

^{b)} pistrinum] PMi leg. pristinum.

^{c)} operatoria] PMi leg. qratório (!); PW operatoria.

^{d)} uaccarum] PMi leg. uictarum; PW uaccarum.

INTRA OFFICINAS ISTAS UEL EXTRA IN VICINO LOCA DETERMINATA UBI MAGISTRI LOQUANTUR CUM FRATRIBUS SUIS DE NECESSARIIS INSTANTIS ^{e)} OPERIS, TANTUM QUE SIGNIFICARE NON POTERUNT BREUITER ET STANDO. ALIA AUTEM EIS IBI NON LICEBIT LOQUI.

[CAP. 21] PRETEREA determinetur certus auditorii locus iuxta domum ubi frequentius fratres conueniant, ubi ordinate de suis necessitatibus eis respondeatur et disponatur.

[CAP. 22] Fratres qui in uicinia ^{a)} abbacie siue alicuius curie ^{b)} SUNT, exterioribus laboribus deseruiunt, ut ^{c)} carpentarii ^{d)}, pastores, carucarii, si uiatores eis salutauerint, qui preest illos resalutet, ceteri acclinent cum silentio. Si de uia quesierint, qui prefuerit ^{e)} si uiam sciat, extenta manu duobus aut tribus uerbis insinuet aut quanto paucioribus potest. SI AMPLIUS ALIUNDE QUERANT, DICAT « PLUS MIHI LOQUI NON LICET ».

[CAP. 23] In quocumque officio duo fratres habentur uel plures; unus preponatur qui sollicitus sit de dispositione operis et de ammonendis fratribus, cum quo loquantur sui fratres absque licentia, quantum exigit necessitas sui negotii, et quod per se implere nequiuerint, ipse requirat a prouisore qui ei preest; sicut magister pellificum et alii huiusmodi a uestiario, magister pistrine et cambe a celerrario et qui in curiis preest in carruca ET IN custodiendis ouibus siue armentis a prouisore curie. De cetero qui loquitur absque licentia sui non debet loqui, siue ubi non debet aut unde ^{a)} non debet, clamatus in capitulo uel ueniam petens, ad correptionem se preparet, ET UNA DIE IN PANE ET AQUA IEIUNET.

[CAP. 24] Prouisores curiarum uestes suis fratribus necessarias a uestiario requirant et acceptas ab illo pro facultate rerum et uestiarii consilio illis distribuunt. Similiter in abbacia ubi plures fratres eiusdem officii sub uno magistro deseruiunt, magister eorum a uestiario requirat uestes illis necessarias. Nec uestiarius absque noticia magistrorum aliquid ILLIS distribuatur, et cui dantur noue, ueteres reddat.

[CAP. 25] Et ubicumque magister discipulum de presenti culpa reprehenderit, ille statim ueniam petat.

[CAP. 26] In curiis ubi fratres sepius non uisitantur ab abbate uel **priore** siue prouisore sacerdote, singulis septimanis fratres conueniant coram prouisore uniuscuiusque curie etiam ^{a)} laico certa die QUANDO omnes possunt interesse. Et si quis

^{e)} instantis] *PMi leg.* instantes.

[CAP. 22] ^{a)} uicinia] *PMi leg.* uicina; *PW* uicinia.

^{b)} siue alicuius curie] *PMi bis repetit.*

^{c)} ut] *PMi leg.* Ubi, *incipiens alterum capitulum*; *PW* ut.

^{d)} carpentarii] *PMi leg.* capentarii.

^{e)} qui prefuerit] *PMi leg.* quis fuerint; *PW* qui prefuerit.

[CAP. 23] ^{a)} unde] *PMi leg.* unum; *PW* unde.

[CAP. 26] ^{a)} etiam] *PMi leg.* et; *PW, PL* etiam.

in preterita septimana publice scandalum fecerit, coram omnibus ueniam petat, et secundum modum conscriptarum penitentiary satisfaciatur. Sic emendatis singulis, pro penitentia que singulis septimanis imponitur commorantibus in abbacia, ad confessionem suam communiter accipiant coreptionem ^{b)} a magistro et magister ab uno eorum. QUARE si quis contumax fuerit, ad commendandum panem et aquam tantum proponatur ei, donec satisfecerit.

[CAP. 27] Fratres qui in curia morantur absque beniuolentia prouisoris sui non eant ad abbaciam. Quod si institutionis preuaricator et contemptor sui magistri perrexerit, si cognitum fuerit in abbacia eum sic uenisse ET eadem die redire potuerit, non commedat uel bibat donec ad curiam reuersus satisfaciatur. Si uero remotior SIT curia, UBI eadem die redire non possit, modico sustentetur pane et aqua, ne deficiat, et alia ei non impendatur necessitas.

[CAP. 28] Fratres egredientes ad missam silentium teneant SICUT IN ORDINE CLERICORUM SCRIPTUM EST. Super culcitra non iaceant. Missi ^{a)} UERO ad loca portario UEL per portarium abbati uel PRIORI tantum loquantur ET in quacumque abbacia nostri ordinis uenerint per omnia sicut in suo monasterio ordinem suum teneant. Quod si abbate cum suo uenerint, quod eis preceperit faciant.

[CAP. 29] NOVICII CONUERSI in quacumque domo uel officio ponuntur, illum magistrum habeant qui illi domui preerit. PER OMNIA ET UBICUMQUE CUM PROFESSIS ORDINEM TENEANT, ad emendationem TANTUM culparum cum professis non remaneant. Quicumque in probatione moriuntur, de eis sicut de professis fiat. Si uero contigerit ut aliquis coniugali nexu ligatus, fratribus hoc ignorantibus, suscipiatur, dum cognitum fuerit eicietur. Quod si postea sigillum episcopi sui uel certum testem adduxerit quod uxor eius castitatem uouens illum absoluerit, recipi poterit probationem denuo peracturus.

[CAP. 30] Mulieres in molendina nostra QUE FRATRES CUSTODIUNT non ingrediantur. Et si importuna uolentia annonam suam afferant, non eis molatur. SIMILITER IN CURIAS NOSTRAS NISI UBI SORORES MANENT NON INGREDIANTUR, UEL MATURE ALIQUE PRO FAMILIARITATE SUI BENEFICII CUM DUABUS SOCIABUS, CUM QUIBUS ALIQUA SUSPICIO NEQUEAT HABERI.

[CAP. 31] INSTITUTIONES CONUERSORUM SINGULIS MENSIBUS IN CAPITULO ABBATIE INTERPRETENTUR EIS. PROUISOR AUTEM CURIARUM, SACERDOS SIUE CLERICUS, CONSCRIPTAS AD INTERPRETANDUM IN CURIIS EAS SECUM DEFERAT, ET SI NON SINGULIS MENSIBUS UISITET CURIAS, QUAMTOTIUS POST MENSEM ILLUC UENERIT, INTERPRETARI NON NEGLIGAT ET SECUNDUM ^{a)} ORDINEM IN DISTRICIONEM INSTITUTIONUM IBI CULPAS EMENDET.

[CAP. 32] Minucio in discretione abbatis uel prioris sit. Minuti igitur prima die post recentem minucionem in refectorio commedant. De refectorio eant in dormitorium

^{b)} accipiant] *PMi om.*; *PW, PL* accipiant.

[CAP. 28] ^{a)} Missi ... loquantur] = *PW* 50, p. 48, 29v.

[CAP. 31] ^{a)} secundum] *PMi leg.* in et secundum; *CA* secundum.

unusquisque ad lectum suum et ibi pausent cum deputanda custodia ad deuitandam dormitionem. Ad laudes surgentes dicant matutinas et postea ad ceteras^{a)} horas, in capitulo uel in ecclesia et ante completorium cenent, ut ante alios uel cum aliis in dormitorium eant. In tertia die eant ad capitulum; cenati uero ad completorium ET AD MATUTINAS. Quarta die QUI OPUS HABUERINT SUMANT MISTUM. POSTEA INTERSINT COMMUNI REFECTIONI ET cum conuentu COMMEDANT.

SCIENDUM QUOD QUATER IN ANNO COMMUNITER TANTUM MINUI LICEBIT, IN SEPTEMBRO, FEBRUARIO, APRILI UEL MAIO. Qui uero de uentosis uel garsis minui uoluerint^{b)}, ante cenam minuuntur. In uesperis^{c)} et matutinis pausabunt. De cetero conuentum tenentes preter ad refectionem, in qua^{d)} aliquid per misericordiam adici debebit. INTER DUAS MINUCIONES PER UENAM, NON PLUS QUAM UNA PER UENTOSAM FIET.

[CAP. 33] *NULLI CLERICORUM UEL LAICORUM FRATRUM^{a)} LICEAT FRATRES CLERICOS UEL LAICOS CONGREGARE, CONGREGATOS AD PRESENTIAM PRELATI QUACUMQUE DE CAUSA ABSQUE LICENTIA ET UOLUNTATE IPSIUS SIUE IN ABBACIA SIUE EXTRA ABBACIAM ADDUCERE. QUI AUTEM HUIUS INSTITUTIONIS TRANSGRESSOR EXTITERIT, CONSPIRATORUM^{b)} PENE SUBIACEBIT.*

[CAP. 34] *Quoniam instant tempora periculosa et ecclesiae supra modum grauantur, communi consilio capituli statuimus ut amodo nullam sororem recipiamus. Si quis autem huius statuti transgressor extiterit, abbacia sua sine misericordia priuetur.*

[CAP. 35] *Nulli ordinis nostri liceat infantem in baptismo leuare, nisi presente et precipiente PRELATO.*

[CAP. 36] *Signa necessaria tenebimus.*

[CAP. 37] *Statutum est ut QUISQUIS parentibus suis UEL EXTRANEIS proclamationes UEL querimonias fecerit, et per eum uel pro eo AUT SCANDALUM AUT dampnum^{a)} abbacie illatum fuerit, aut aliquis fratrum percusus fuerit, ad^{b)} aliam abbatiam cum penitentia ab) PRELATO suo SIBI iniuncta mittatur, nec ultra redeat ad propriam abbatiam nisi capituli generalis assensu.*

[CAP. 38] *Si quis ETIAM fratrum PER MALITIAM ALIQUID DAMPNI PER INCENDIUM FECERIT, TRES DIES PER EBDOMADAM^{a)} in pane et aqua IN alia abbacia ieiunabit, DONEC PER generale capitulum STATUTUM FUERIT QUID DE EO FIERI DEBEAT.*

[CAP. 32] ^{a)} ceteras] *PMi leg.* certas; *PW, PM, PL* ceteras.

^{b)} uoluerint] *PMi leg.* uoluerit; *PM, PL* uoluerint.

^{c)} uesperis] *PM (ed.) leg.* quinta.

^{d)} qua] *PMi leg.* quo; *PM, PL* qua.

[CAP. 33] ^{a)} fratrum] *PMi leg.* fratribus.

^{b)} conspiratorum] *PMi leg.* conspuatorum.

[CAP. 37] ^{a)} aut dampnum] *PMi leg.* dampnatium aut; *PM* aut dampnum.

^{b)} ad] *PMi leg.* aut; *PM* ad.

[CAP. 38] ^{a)} ebdomadad] *PMi leg.* ebdomodam.

[CAP. 39] QUI INFRA SEPTA MONASTERII SUNT EISDEM GENERALITER CIBIS, EISDEM HORIS SICUT CANONICI UESCANTUR, ET QUI INDIGUERINT BIS REFICI, TAM CLERICI QUAM LAICI, MANE MISTUM SUMANT, PANEM ET POTUM TANTUM. QUI UERO IN GRANGIIS MANENT, BIS REFICIANTUR EXCEPTIS DIEBUS CONSUETI ET DEBITI IEIUNII, ET DE HIS QUE HABENT IN DOMIBUS SUIS SUMANT AD NUTUM PRELATI SUI; ALIA UERO FORIS EMERE NON PRESUMANT NISI IN ADVENTU PRELATI SUI AUT ALICUIUS EXTRANEE ET AUTENTICE PERSONE.

[CAP. 40]. ITEM EXCOMMUNICATIO PROPTER PROPRIETATEM UEL INCENDIUM UEL CONSPIRATIONEM SEMEL IN ANNO FIT, CUM OPORTUNUM FUERIT; PROPRIETATEM AUTEM DICIMUS, QUOD HABETUR CONTRA UETITUM UEL ABSQUE DEBITA LICENTIA. QUOD SI QUIS **in proprietate mortuus inuentus fuerit, extra atrium ponatur et officio CHRISTIANORUM careat.**

[CAP. 41] SI QUIS UERO NOSTRI ORDINIS PRELATUS UEL SUBDITUS DE FRATRIBUS NOSTRI ORDINIS RITMIS UEL UERSIBUS UEL LITERIS MALICIOSE ET CONTUMELIOSE SCRIPSERIT UEL SCRIBI FECERIT, SI CONUICTUS FUERIT, HANC PENAM SUSTINEBIT UT ULTIMUS SIT IN OMNI CONUENTU UBI ORDO SERUATUR, OFFICIO SUO NON FUNGATUR, IN OMNI SEXTA FERIA IEIUNET IN PANE ET AQUA, TOTIENS CORREPTIONEM ACCIPIET; ET DE HIS NON FIAT EIS EX TOTO REMISSIO NISI CONSIDIO GENERALIS CAPITULI.

[CAP. 42] **Priores UEL subpriores quorum tempore dissensio contra PRELATUM in domo sua orta fuerit, UBI participes fuerint, aut dissensioni non restiterint, NEUTER in domo remanebit set ibunt ubi PRELATUS EIS PROUIDERIT.**

[CAP. 43] FRATRES NOSTRI MENDICI ^{a)} NON CIRCAEANT PROUINCIAS MENDICANDO QUESTU PECUNIE.

[CAP. 44] PRIORES ET SUBPRIORES STRICTISSIME SE AGANT CIRCA CONUENTUM CUSTODIENDUM, NEC ALICUBI DIURTANT, NISI PRO INEFFABILI NECESSITATE. *Si uero negligentes inuenti fuerint de imponenda penitencia ^{a)} hiis qui IN ALIQUO OFFENDERINT, hanc penam sustinebunt, ut in toto anno sextis feriis absque remissione, nisi duplex festum fuerit, in pane et aqua ieiunent.*

[CAP. 45] CUM ^{a)} FRATRES FORAS CONUENERINT ^{b)}, NON LOQUANTUR SIMUL, SED UNUS DICAT « BENEDICITE » ET RESPONDEATUR « DOMINUS » ET SIC RECEDANT.

[CAP. 46] PROUISUM EST NE FRATRES A FESTO SANCTI ANDREE USQUE PASCHA PARENTES SUOS UISITENT, NISI IUBENTE PRELATO.

[CAP. 47] QUONIAM STATUTUM EST TAM DE PRELATIS QUAM DE CANONICIS, QUOD AD PRANDIUM SUUM SILENTIUM NON CONSUEUERUNT TENERE SECUNDUM STATUTA

[CAP. 43] ^{a)} mendici] *PMi* medici.

[CAP. 44] ^{a)} penitencia] *PM* (*ms.*) *supra lin.*

[CAP. 45] ^{a)} Cum] *PMi leg.* Cum.

^{b)} conuenerint] *PMi leg.* conuiuerint.

ORDINIS, DENUO FIRMITER STATUTUM EST UT TAM PRELATI QUAM CANONICI AD MENSAM SILENTIUM TENEANT, ET PRELATI, SIUE IN REFECTORIO SIUE EXTRA COMMEDE-
RINT, LECTIONEM AUDIANT ET SILENTIUM SUUM TENEANT, ET TAM PRELATI SUPERUE-
NIENTES QUAM PRELATI DE DOMO POST PRIMUM DIEM IN REFECTORIO COMMEDANT.

[CAP. 48] ITEM STATUTUM EST UT ULTERIUS NULLUS CONUERSUS POST TRANS-
ACTUM ANNUM PROBACIONIS SUE AUT INFRA CANONICUS FIAT, SED SI OPUS FUERIT
INICIO CONUERSIONIS SUE AUT INFRA ANNUM FIERI POSSUNT CANONICI. SIN AUTEM
OMNINO ABSQUE BENEDICTIOE CORONE PERMANEANT.

[CAP. 49] DE IEIUNIO STATUTUM EST UT IRREFRAGABILITER AB OMNIBUS TENEATUR
TAM A PRELATIS QUAM A SUBDITIS SIUE DOMI SIUE IN VIA DIRECTI FUERINT, NISI
QUEM INFIRMITAS CORPORIS IMPEDIERIT, ET NEQUE SACERDOTES NEQUE DIACONI,
NISI COGENTE INFIRMITATE, SUMANT MISTUM. DIACONI UERO NEC SUBDIACONI NISI
POST MAGNAM HUIUSMODI ABSTINENTIAM, NON SUNT ALIQUATENUS PROMOUENDI,
ET HOC EIS ETIAM PRIUS INTIMARI DEBET. A festo sancte Crucis usque ad Pascha
continuum tenebimus ieiunium et post nonam comedemus, exceptis dominicis
diebus *et Die Natiuitatis Domini* ET FESTIS PRECIPUIS ET FESTIS NOUEM LECTIONUM.
A Pascha UERO usque ad *festum sancte Crucis* reficiantur his fratres, excepto
letania maiore et diebus rogationum et uigilia Pentecostes et ieiuniis III^{or} tem-
porum, *uigiliis sancti Iohannis Baptiste, Petri et Pauli, Iacobi, Laurentii, As-*
sumptionis sancte Marie, Bartholomei ET PLURIBUS ALIIS FESTIS PRECIPUIS.

[CAP. 50] SORORES NOSTRE NON INGREDIANTUR CLAUSTRUM AD UISITANDOS
PARENTES SUOS, NEC CAUSA INFIRMITATIS NEC ALIA DE CAUSA.

[CAP. 51] DECERNIMUS UT NULLI, SIUE CANONICI SIUE CONUERSI FUERINT,
UOCENT ALIQUEM FRATRUM SUORUM AUT DOMINUM AUT MAGISTRUM, NISI PRIUS
PRELATUS EXTITERIT.

[CAP. 52] NULLUS CANONICUS SIUE CONUERSUS NOSTRI ORDINIS CURAM HABERE
DEBET PARENTUM SUORUM UEL CUSTODIAM, NEQUE IN ALENDIS EORUM NUTRIMEN-
TIS AUT CONSERUANDIS PECUNIS SOLLICITUDINEM GERERE, SET NEQUE PARENTES
IPSORUM CUM IPSIS FRATRIBUS DEBENT REMANERE NISI PRELATUS HOC ADIUDI-
CAUERIT ET CONCESSERIT.

[CAP. 53] FRATRES NON DEBENT IRE AD NUNDINAS NISI MAIOR NECESSITAS IN-
STITTERIT, SED NEQUE IBI COMMEDERE NEQUE PER NOCTEM MORARI, SI ALIBI ABSQUE
MAGNA DIFFICULTATE ^{a)} DIUERTERE POTERUNT. QUOD SI PROPTER NECESSITATEM
DOMUS SUE ALIQUI EXIERINT, DILIGENTER EXPLEANT PROPTER QUOD UENERINT ET
EANT SIMUL DUO AUT TRES, ET NON DEBET QUISQUE FRATRUM PRO OFFICIO SUO
EXIRE. RARO EUNDUM EST AD MERCATUM.

[CAP. 54] FEMINE NON DEBENT MULGERE OUES NOSTRAS NEQUE UACCAS.

[CAP. 53] ^{a)} difficultate] *PMi incipit alterum capitulum, sed om. d.*

[CAP. 55] SI QUIS NOSTRI ORDINIS SACERDOS APOSTAUERIT ET IN SEculo ORDINIS SUI OFFICIO ABUTI PRESUMSERIT, ETIAM SI AD ORDINEM PENITENTIA DUCTUS FUERIT, NON SINE CAPITULI GENERALIS CONSILIO DEINCEPS ORDINIBUS QUIBUS MALE USUS EST FUNGETUR.

[CAP. 56] ITEM SI QUIS IN APOSTASIA SACROS ORDINES SUSCIPERE PRESUMSERIT, ECIAM REDIENS AD ORDINEM, ORDINIBUS MALE SUSCEPTIS NUNQUAM NISI GENERALIS CAPITULI LICENCIA FRUETUR; QUOD ETIAM, SI IMPETRAUERIT, ET VOCE IN CAPITULO ET MAIORIS ALTARIS ACCESSU PERPETUO CAREBIT.

[CAP. 57] INTERDICIMUS EX AUCTORITATE ORDINIS SUB ANATEMATE, NE QUIS IN NOSTRO ORDINE ARCHIEPISCOPO UEL ALICUI PRELATO, NISI SUO, DE CRIMINALIBUS CONFITERI PRESUMAT.

[CAP. 58] SANGUIS NON DATUR LAICIS FRATRIBUS NISI IN PASCHA.

[CAP. 59] NULLUM SCRIPTUM IMPETRETUR A CURIA ROMANA CONTRA STATUTA NOSTRI ORDINIS, ET SI IMPETRATUM FUERIT CAREAT UIRIBUS.